



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De festis diebus, cap. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

DE FESTIS DIEBUS.

Aula tua recte corripis, qui semel aut iterum in sermone aut nuncio aliquo variet, nulla certe vel grauitas, vel honestas suadebit, aut feret. Monachum aut Doctorem vnum, in scriptis librisque publicatis toties variare impune sententiam de rebus tam arduis, Deum ac salutem animarum concernentibus.

De festis Diebus.

VISITATOR.

In lib. Visti. **T**ERTIUM præceptum, docet dies festos celebrare. **SVER.** At nos supra, tum ex aliis
ra.
In Ser. de causis, tum potissimum ex hoc tertio præcepto probauimus, **Mosen** & eius præcepta, nõ
Mose. ad nos, sed ad Iudæos pertinere. **VISI.** Quãuis Deus externam feriatiõnem non sic præcepit nobis, sicut Iudæis, vt nullum omnino opus in ea fieri possit, tamen feriæ aliquæ obseruari debent, ita vt audiatur ac doceatur verbum Dei, populûsque certum habet tempus
Vbi supra. conueniendi. **SVER.** Hac ratione instaurebis **XII.** facies Antichristi, inter quas nona est scelerata illa facies, festorum dierû multiplicatio, & iniquitas. Sic enim hodie docet sanctissimus, homines per ocium Deo seruire, id est (vt ipse exponit) intermissione operum
*In lib. de iudicio Christi-
 stiana con-
 gregationis.* feruiliũ, cum omnes dies liberi sint, & ad laborandum, & ad feriandum. **BAR R.** Quaid

facis autoritate, *V*isitator? si quam habes pro *In lib. Visti-*
 feriis scripturam, ostende: sin minus, non igno *ia.*
 ras, quot nos probauerimus scripturis, nos ho-
 minum legibus non teneri. *V*ISI. Non de-
 bent quidem Parochi contentionem inire, si
 vnus diem festum celebret, alter verò nō, sed
 vnusquisque teneat consuetudinem suam pa-
 cificè, ita tamen, vt non omnia, festa abolean-
 tur. *B*A*R*R. Quid ni omnia, si de nullo affe-
 ras scripturam? Nos enim non solùm non te- *Vbi supra;*
 nemur ea seruare, verumetiam sub animarum
 periculo abolere debemus, iuxta ea, quæ Pau-
 lus Ro. xvj. j. Cor. x. Gal. iij. iij. v. Coloss. ij. &
 vbiq̃, ac omnes Prophetæ de doctrinis ho-
 minum vitandis docuerunt. *M*A*R*. Quamuis *In lib. de bo-*
 corporalis feriatio seu requies, qua labores & *nis operibus.*
 artificia nostra cessant, vt nos in Ecclesia cō-
 ueniamus, videntes Missam, audientēsq̃ ver-
 bum Dei, ac vnanimiter in commune orantes:
 non sit vlterius præcepta à Deo in Christia-
 nismo, sicut Apostolus ait Coloss. ij. Necessa-
 ria tamen est & ab Ecclesia Christi ordinata
 propter imperfectos operariōsq̃ laicos, vt
 & illi ad verbum dei venire queant. *B*A*R*R. *Vbi supra.*
 Nos autem ex scripturis probauimus, ob
 eiusmodi constitutiones humanas, omnes Epi-
 scopos, Abbates, cum Collegiis simul & Mo-
 nasteriis debere non solum omni potesta-
 te ac Iurisdictione priuari, verumetiam vi- *In libello ad*
 tari, imò funditus exterminari. *L*V*T*E. *nobilitatem*
 Et ego anno viij, annos consului, vt omnia *Germania.*

D E F E S T I S D I E B V S

festa præter diem dominicam abolerentur,
 propter eorum abusiones in cōpotationibus,
 ludis, ocio, omnîsq; generis peccatis. Ad hæc,
 duo accedunt incommoda plebi corporalia,
 vltra damnum istud spirituale. Nam & in ope
 re suo negligitur, & plus consumit diebus fe-
 stis, quàm aliis: imo & corpus suum debilitat
 inhabiléque reddit. Neque hæc curari debet,
 si Papa eiusmodi festa instituerit: quia quod
 contra Deum est & hominibus, tum in anima,
 tum in corpore nocet, vnaqueque communi-
 tas aut potestas abolere potest absque Papæ
 aut Episcopi scitu & voluntate, imo sub ani-
 mæ salute tenetur prohibere, etiam si Papa &
 Episcopus nolint. M A R. Sic Barrabæ quidē
 & Suermeri loquuntur. Ego autem ad Princi-
 pem nostrum. itidem ante viij. annos ita me
 scripsisse memini: Alterum, opus quarti præce-
 pti est, honorare ac obedire matri nostræ spi-
 rituali, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Ecclesia-
 sticæ potestati, quicquid præcepit, prohibet,
 statuit, ordinat, ligat, soluit, vt illud sequamur.
 Et sicut carnales parêtes nostros honoramus,
 reueremur, amamus: ita & spirituales supe-
 rioritatem iustificemus in omnibus, quæ non
 sunt contra tria prima præcepta. B A R R.
 Quid ais versipellis adulator, nōne tu ipse
 vel in eodem capitulo mox fateris, ea festa
 pauca, quæ adhuc supersunt, melius aboleri?
 David autem per totum Psalmum cxviij. qui
 omnium longissimus est, diligentissimè admo-
 nuit

*In lib. de bo-
nis operibus*

Ibidem.

*In lib. de cō-
fess. ad Frā.*

nuit nos, vt ab humanis constitutionibus, & præceptis caueamus & fugiamus, tanquàm à maximo infortunio super terram, quo nihil speciosius apparet, & nihil crudelius vastat. MARTI. Tu nondum vides Barraba, quàm vigil sit Christus in Ecclesia, vt etiam errare volentes, non permittat errare, si tamen nos ipsos, neglecto eius monitorio, non præcipitaremus in errorem. BARR. At pia conscientia nouit, nec dubitat, Ecclesiam nihil statuere aut ordinare citra aut vltra verbū Dei: Quæ autem hoc tentat, Ecclesia non est, sed fingit se Ecclesiam esse. DOCT. Vane contenditis, fratres, cessauit quidem præceptum istud de Sabbato, imò omnia, quoad perfectos Christianos, quia iusto non est lex posita. Veruntamē Ecclesia festa retinuit propter necessitatem verbi Dei pro imperfectis. Nam iustus verus, sic deiformis est, vt sicut Deus indifferens est ad omnem diem, omnem locum, omnē personam: ita & ipse. Omnis dies est illi festus. Verum infirmis, & qui nondum sunt mortificati secundum veterem hominem, illis opus est, vt certis officiis, diebus, modis occupētur, vigiliis, ieiuniis, laboribus, orationibus, disciplinis, & similibus: quibus perueniat ad perfectionem interioris hominis. Sunt autem quinque facienda pro sanctificatione festi, vt colligitur ex Decreto, scilicet audire Missam, audire verbum Dei, orare, offerre secundum aliquos, & conteri de peccatis. Et in iis

*In Resolu.
Conclu. 26.
In lib. de
Abrogan.
Missæ.*

*De X. præ.
cep. cap. 3.*

DE BESTIS DIEBUS

omnibus quisque sequi debet, non suum iudicium, suam opinionem, suam deuotionem, sed auctoritatem Ecclesiæ, ad captiuandum sensum in obsequium Christi, quia scriptum est, Stultus est qui confidit in corde suo. Et Ecclesia non potest errare, quilibet autem potest in sua deuotione errare.

COCLÆVS.

Tuam hîc (illustr. Pr.) compello conscientiam, quænam sententia ex tam varia ac multiplici hac contentione septem Lutherorum tibi potissimum placeat. Non dubito equidem, nisi omnino sis excæcatus, induratus, & in reprobum sensum datus, vltimam præ omnibus placituram esse. At eam scripsit Doctor ille, quando adhuc vtcûmq; obediens erat filius piæ matris Ecclesiæ, quando audiebat in Papa vocem Christi, quando seruabat præcepta, & vota monastica, quando dicebat: tam impudenter. Arrogans non sum, vt me inter doctos Ecclesiæ sanctæ numerandum putem, multo minus inter eos, quorum hæc sit statuerè aut destituere, atque vtinam nouissimum merear Ecclesiæ membrum fieri aliquamdo. Quod si non licuisset ei tua fratrisque tui conniuentia salubre istud obedientiæ iugum per superbiam excutere: ad Tragicos illos clamores, quibus pa-

In Resolu-
tio. conclu.
25.

cem & religionem vsque adeò turbauit, nunquam profectò deuenisset. Redit quidem nunc & recantat plurima, sed corde minimè synce-
ro, agit eum partim in tot malis & seditio-
nibus populorum, timor tui, partim odium in-
suermeros suos, a quibus nunc contemnitur,
sed cor eius non est rectum coram Deo, quia v-
bique adhuc tumet superbia, nec vllum præbet
veræ pœnitentiæ signū, induratus ac proprio
iudicio condemnatus. Ingenue enim fatetur,
nullam esse spem de vlllo hæresiarcha vt con-
uertatur, quia tale peccatum nimis grande sit,
cum blasphemet verbum dei, & peccet in spi-
ritum sanctum. Quid ergo facias? Illustrissime
Princeps, sequere consilium Dei, præcipe vni-
uerso populo tuo, vt separetur à tabernaculis
eius. Recede & tu ab eo, ne inuoluaris in pec-
catis eius.

In lib. I. cō-
tra Zuing.
& Oecol.
Num. 16.

De meritis iustorum.

CAP. XI.

VISITATOR.

NON est necessarium, de meritis exacte dis-
putare, an ea Deus propter opera nostra
præbeat Satis est, si populus instruatur, quòd
Deus talia opera requirat ac mercedē præbeat,
quandoquidē promisit, absq; merito nostro.

In lib. V. c. 1.